Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitialen

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

se iude et annos unius de xii prophetis qui dicit non sum propheta nec filius prophete sed pastor caprarum vellicans sichomoros. siccaminum prius nomen in titulo non habere. Hec sicum est sophonias propheta qui nomine ut ita dicam prophetico et glosa maiorum suorum stirpe generatus est. habuit enim patrem chusi. avum godoliam. proavum amariam. atavum ezechiam. et talem quadrigam ipse velut extremus auriga complevit. Nomen sophonie alii speculam alii archanum domini dei transtulerunt. Sive ergo speculam sive absconditum domini interpretetur: utrumque prophete convenit. Dicitur enim et ad ezechiel. Fili hominis speculatorem te posui domui israel. Iste ergo propheta qui erat in specula et in sublimibus constitutus et noverat mysteria domini, filius erat chusi. qui interpretatur humilitas. Habebat quoque avum godoliam. qui dicitur magnitudo domini. et proavum amariam. qui et ipse dicitur in sermone domini. et atavum ezechiam qui sonat fortitudo domini. De fortitudine itaque domini natus est sermo domini. et de sermone domini nata est magnitudo. et de magnitudine domini nata est humilitas. ut cum puerili aliquis ad perfectum dicat. Quia non sum dignus vocari apostolus. Et illud in psalmis. Domine non est exaltatum cor meum n.e.s.o.m. Josiam regem iude cuius temporibus sophonias prophetasse invenitur deo pre omnibus regibus iude placuisse ystoria a quarti libri regum et secundi paralipomenon demonstrat. Josias omnia simulacra que pater suus amon vel avus eius manasses in templo dei collocaverant. deiecta comminuisse monstratur. Inter que etiam serpentem eneum a moyse factum. cui errori deditus populus superstitione ydolorum detenti adoleverat. Hic custodisse pascha etiam intermissum temporibus multis solus celebrare firmatur. Iccirco dominus per prophetam temporibus memorati regis que preventura erant ostendens gentibus lectione quidem comprehensis affuturum indicium. post vero israelis salutem et civitatem ierusalem restaurationem et temporis tribuenda textu lectionis denuntiat.

Item prologus.

Speculator sophonias et archanorum dei cognitor audit clamorem a porta piscium et eiulatum a secunda et contritionem a collibus. Indicit quoque et ululatum habitatoribus pile. quod conticuit omnis populus chanaan. dispersi sunt universi qui involuti erant argento.

Incipit Sophonias propheta.

Verbum domini quod factum est ad sophoniam filium chusi filii godolie filii amarie filii ezechie in diebus iosie filii amon regis iuda. Congregans congregabo omnia a facie terre dicit dominus. congregans hominem et pecus. congregans volatilia celi et pisces maris. Et ruine impiorum erunt. et disperdam homines a facie terre dicit dominus. Et extendam manum meam super iudam et super omnes habitatores ierusalem. Et disperdam de loco hoc reliquias baal. et nomina edituorum cum sacerdotibus. et eos qui adorant super tecta militiam celi. et adorant et iurant in